



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 32. Quomodo practicè elici possit actus spei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

servare sua promissa & posse dare, quod promittit; juvenis autem Frater sæpe negligit promissa, aut quamvis libenter servare vellet, tamen non semper potest: id applicet Deo, qui quidquid promittit, vult dare, quia fidelissimus est, & potest dare, quia est potentissimus; ac consequenter ab eo firmissimè sperare possumus æternam beatitudinem nobis propter Christi merita promissam, itemque media ad illam.

124 7. Actus spei utilis ad salutem, justificationem, & meritum debet esse supernaturalis, qualis erit, si beatitudo promissa, Dei promissio & motivum ipsum spei proponantur nobis per fidem supernaturalem, quæ ideo præire debet, uti à n. 14. dictum est. Vide etiam n. 24.

125 Q. 32. *Quomodo practice elici possit actus spei.* R. Formula dabitur n. 154.

126 Q. 33. *An sit præsumptio, si quis ideo audacius peccet, quia scit Deum esse infinite misericordem, aut quia scit se unâ confessione vel uno actu contritionis delere posse multa peccata.* R. Si cognitio & spes illa remissionis sit ipsi ratio peccandi, tum est præsumptio; si autem non sit ipsi ratio peccandi, sed tantum habeat se concomitanter, non est præsumptio, sed est actus spei, bonum enim est etiam tum, quando quis peccat vel vult peccare, sperare veniam à Deo, & proponere postea confiteri vel pœnitere.

127 Q. 34. *An sit præsumptio, si quis ideo peccet, quia simile peccatum commisit, postea unâ operâ confitendum.* R. Non est, licet enim per hoc ostendatur, quòd animus sit malè dispositus, qui à peccato plus deterreatur ob pudorem vel difficultatem confitendi, quàm per aliud motivum, tamen

ex